

5

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

FEBRE NERVOSEA:

Q U A M,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

N E C N O N

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ decreto,

P R O G R A D U D O C T O R I S,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

J O S H U A D I X O N

B R I T A N N U S.

Prid. Id. Septemb. hora locoque solitis.

E D I N B U R G I:

Apud BALFOUR, AULD, et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXVIII.

For Dr. Moncrieff
from his humble S.
The Author.



GULIELMO BROWNRIGG, M.D. S.R.S.

VIRO FAMAM, INGENIO ET DOCTRINA

PUBLICE PARTAM,

RE IPSA ANTEVENIENTI,

MORUM INTEGRORUM SUAVITATE,

IN AMICOS BENEFICIENTIA,

IN OMNES BENEVOLENTIA, PRIVATAM VITAM.

ILLUSTRANTI,

STUDIORUM QUAE DOCTIS ET FIDIS CONSENSU

SEMPER REGERE DIGNATUS EST;

HOS PRIMOS FRUCTUS,

EA QUA DECET REVERENTIA,

DICANDOS CENSUIT

JOSHUA DIXON.

DISPUTATIO MEDICA

D E

FEBRE NERVOSEA.

MORBUS de quo acturus sum febris illa lenta et longa est, ab Anglis, qui eum praeceteris gentibus accuratius tractarunt, Febris Nervosa, SAUVAGESIO, Typhus Nervosus, nuncupatus.

Cujus si locum nosologicum requiras, apud eundem scriptorem est quartum genus primi ordinis classis secundae, quae febres comprehendit. Idem, hujus generis, ut et reliquorum omnium, eodem ordine comprehensorum, communem notam addit: “Pyrexiam semel crescentem, semel decrescentem, in decursu aegritudinis.” Quod discrimen, cum plerorumque medicorum de accessionibus febrilibus sive opinionibus sive observationibus conveniat, nos nihil novare, nec communis nostram sententiolam opponere, statui-

A

mūs.

2 DE FEBRE NERVOSEA.

mus. Solum doleo, quod cum optimus noster Praeceptor CULLENUS hoc ipso tempore prorsus aliam de febribus doctrinam, et multo hac elegantiorem omnium judicio, tradat, ea fero mihi, qui jam ante hanc disputationis materiam composueram, et frustra auxilio, veniat. Tanta igitur auctoritate privatus, e reliquis optima quaque, et praeceteris clarissimi viri HUXHAM I, uti non dubitabo. Neque non, si qua mihi ad animum ex Culleniana doctrina forte occurrerint, per occasionem subinde interponam.

FEBRIS nervosa est continuarum febrium species, ubi pulsus quaedam fere sed cum debilitate frequentia est, calor augescit, vires cito franguntur, et omnia, quam pro febris vehementia, graviora reperiuntur.

MORBI HISTORIA.

FEBRIS nervosa obscuris admodum initii paulatim advenit. Febricitaturi primum a solitis negotiis et oblectationibus alieni, omnium fere rerum taedio seu anxietate inenarrabili, et membrorum laffitudine, adficiuntur. Somnus, vigiliis aut somniis inturbatus, parum eos reficit; cibus fastiditur; atque eae molestiae

molestiae per aliquot interdum di s ita permanent, ut neque febricitare homines, nec integrati valetudine, videantur.

Postea horror quidam sentitur, quem calor plerumque naturali major excipit. Lingua insoliti nihil fere habet, nisi quod muco interdum obducitur. Sitis memorabilior nulla est. Postremo, arteriarum percussus parviciti, et celeres, subesse febrem, significant. Mox graviora sequuntur. Praeterque cibi fastidium, nausea ad vomitum, eumque pituitosum, usque interdum augescens, ventriculum male habet. Praecordia quasi opprimuntur; caput veluti vertigine aliqua circumrapitur; et mente confusa, cogitandi tenor subinde disrumpitur. Denique tantum sensuum acumen est, ut omnis lux, strepitus omnis, ac propriae quandoque vocis sonus, moleste toleretur. Quae mala quotidie mane aliquantum sublevantur, quotidie sero vespere redintegrantur. Atque is fere per septem primos dies rerum status observatur. Post quod tempus,

OMNIA in pejus ruere solent; capitis, praecipue occipitis, dolor obtusus crescit. Non nulli et somno et quiete carent; aliis illius est cupiditas. Pulsus tum citatores, tum debiliores, tum tremuli fiunt, tum denique per brevem

brevem moram subinde intermittuntur. Areficit lingua, et exserta tremit. Neque nunc quidem sitis subest. Tremunt manus, ac tendines subsiliunt. Error mentis in delirium crescit; ita tamen ut ab adstantibus aut consuetis rerum signis objectis, cum memoriae integritate, judicii constantia cito reduci possit. Jamque tanta est membrorum omnium imbecillitas, ut omnem vel levissimum corporis motum animae defectiones subsequantur. Auditus, qui adeo acutus ante fuit, nunc hebetatur; aures tinniunt. Caput simul ardet, simul frigidus mador manus ac pedes afficit. Qui frigidus sudor alias summum totum corpus, praecipue narium auriumque extrema, tenet. Urina limpida, aquae purae instar, est; eadem, alias serum lactis, alias cerevisiam vappidam, refert.

VIDEAMUS deinceps quae signa, sive ad salutem seu ad perniciem, tertium et ultimum tempus distinguant; et ab illis initium sumatur.

SALUTARIA fere haec reperiuntur: Ptyalismus seu salivae sputum, circa labra exanthemata quaedam seu aphthae albescentes, adparent; item pustulae miliares, fusa alvus, sudor ubique aequalis, abscessus, et similia, conspi ciuntur.

ciuntur. Quibus, si morbus ex toto non tollitur, tamen nunquam non plurimum levatur. Quae itaque pro morbi judicatione habeantur. Idem tamen alias sine ulla judicatione, ulla humoris profusione evidentiore, etiam solvitur. Nonnulli quoque ita ad sanitatem reducuntur, quasi e profundo somno evigilantes.

KURSUS, si finis exitialis miseris, quod saepe fit, exspectat, dira deinde rerum facies cernitur. Arteriarum pulsus adeo veloci, adeo tremuli sunt, ut, admoto digito, comprehendendi eorum numerus nequeat. Sudoribus frigidis aegrotantes colliquecunt. Idem alto et ineluctabili delirio obstupecunt; digitii assidue in veste stragula floccos carpunt; vox tremit, aut parum significat; aegre aut non omnino devorari potest; spiritus luctuosus cum strepitu et suspirio est; idem interdum ex toto intercipitur; vultui mors accubat; digitii et unguis extremi livecunt; vis muscularum motrix, omnis vis mentis, perit; sphincteres resolvuntur; urina et sterlus, nescio homine, sponte profluunt. Quibus omnibus aerumnis convulsiones supervenientes, soluto vitae quicquid adhue superest

6 DE FEBRE NERVOSEA.

rest vinculo, miseros et afflictos morti demum tradunt.

EODEM hoc, scilicet, extremo morbi tempore, saepe putridae quoque notae supra expositis permiscentur, et periculum etiam augent. Hujusmodi sunt aphthae fusci coloris; livida quaedam nigrescentia; alvus ultra modum fusa; sudores colliquantes; et tergi prius cute nudati, gangraena, et alia his similia. Neque devorandi supra relata difficultas, cum singultu conjuncta, non durum eventum significant.

ITA a levissimis initiiis hic morbus ortus, neque durius quicquam interminatus, fatalem saepissime eventum trahit. Neque quisquam mortalibus aliis morbus contingit, ubi, sive naturae potentia, sive artis auxilium frustra, saepius esse reperitur. Quod si dies judicatorii minus a plerisque medicis, cum in aliis, tum prae caeteris in hac febre, animadversi sunt; non ideo sequitur, nulos omnino esse: Siquidem, ut dictum est, et aliquando judicatio manifesta incidit; et si quando ea obscurior est aut parum exploratur; tamen, quia vel primus morbi adventus, unde numerari incipi debet, non sit notatus; vel posteriorem

posteriorem progressum medicus, non usque praefens, parum animadverterit; vel victae aliquando vires naturae judicationis notas proferre parum valeant; ideo illud naturae opus ex toto saepe non observari potest. Huc accedit, quod septentrionalium coelorum frigora majora motus febriles multum obscurant; unde plerique recentiorum, praeципue qui in his Europae partibus artem exercuerunt, partim a praceptoribus acceptam, partim ab ipsorum incuria ortam, in opinionem pervenerunt, quasi nulli motus praeter accessionem et decessionem unam, nulli dies critici, febribus subessent. Quam utique opinionem falsam esse, supra pertexta morbi historia declarat. Ubi quotidie mane et vespera mutationes incidere, et profusionem humoris judicatoriam morbum in melius vertere exploratum est.

VERUM, licet a magno viro CULLENO, qui doctrinam de diebus judicatoriis et motibus febrilibus fuisus saepe et clarius nos docuit, ego quoque instructus, istos motus esse minime quidem addubitem: Tamen, quia omnia in hanc chartam argumenta congerere longum foret, neque ipse dum in aliquam concinniorem aut commodiorem formam ea digerendi, praetaliis studiis et negotiis, tempus habeam;

eam

eam igitur rem, aliis olim exequendam, in medio nunc relinquam; neque, ut supra admonui, quicquam de recepta scholis prioribus doctrina novabo.

FEBRIS nervosae actas certa non est; ita tamen ut ante decimum quartum raro jugulet, post vicesimum plerumque salutem promittat. Verum haec paulatim rediens, saepe diutius, raro intra menstruum spatum, omni ex parte absolvitur.

Morbi Discrimina.

TRADITA supra febris nervosae historia definitionem quoque traditam confirmat; quippe cum praecipua quibus hic ab aliis morbis distinguitur signa ad nervorum debilitatem omnia redeant; id quod mens delirio affecta, virium motricium debilitas, et arteriarum, licet citi, tamen imbecilli percussus, probant. Iis igitur notis febris, ubi jam proiectior est, ab eo synocho qui, in inflammatione consistens, febris cum inflammatione nuncupatur, clare dignosci potest. Verum eaedem febres incipientes non semper adeo facile inter se discernuntur.

Nam

Nam nervosa circa initia contrariam toto coelo alterius naturam haud raro mentitur. Cujus utique naturam nisi exploratam habeat medicus, et ab illa bene discretam norit, in mendendi pessimas turbas incurret, et pro salute perniciem certam feret. Ergo ex aliis rebus quibusdam discrimina necessario sunt petenda. Et primum, utrum febris genus per populum graffetur, modo alterutrum graffetur, considerandum est. Dein, ut sanguinis detractionem homo ferat, arteriarumne pulsus deprimantur an attollantur; postremo, quae sit febricitantis aetas, florentior an proiectior; quod sit anni tempus, frigidius an calidius; quae sint corporis vires, maiores an minores; perpendatur. Itaque, si febris nervosa multis communis est, eo tempore quo in aliquo homine singulari ejus naturam inquiris; si post sanguinem missum arteriae ictus non attolluntur, nec validiore vi infra digitum explorantis medici assurgunt; si proiectior ejus qui febricitat aetas est, et corpus natura imbecillus; si praecipite aestate aut verna tempestate febris incipit; scire licet, eam nervosam futuram esse. Contra, febris cum inflammatione per populum saeviens, validior post sanguinem detractum arteriarum vehementia, aetas florens et cor-

10 DE FEBRE NERVOZA.

pus robustum, hyems provecta aut vernum tempus, febrem cum inflammatione subesse, testimonio sunt.

PORRO, cum febrem nervosam continuam esse posuerim, neque motuum febrilium, qui funditus ad intermittentium naturam accedere videntur, rationem altius excusserim; inter hanc et intermittentes, ita ut sub propria uterque morbus forma adparere solet, discrimen haud obscurum esse potest. Scilicet, febres intermittentes, post aliquot horarum accessiones, intervalla integrae sanitatis habent, et pro tot febribus quot accessiones istis intervallis distinguuntur quasi haberit possunt. Febris haec nervosa nullum sanitatis intervallum habet.

VERUM, cum eadem quotidie mane levior, quotidie vespero gravior, esse comperiatur, ut ne hanc mutationem bis quotidie fieri probare coner, quod utique non verisimile non est; ideo necesse erit inter remittentes febres quae vulgo sic appellantur et nervosam discrimina indagare. Ergo dixisse ero contentus, remittentibus licet et nervosae hoc commune sit, ut febre sit continua in utrisque; tamen vel hoc ipsum ad distinguendum satis esse, quod in illis remissio manifesta quibus-

libet,

DE FEBRE NERVOSEA. II

libet, in hac obscura adeo plerumque sit, ut etiam sagaces medicos fugiat. Atque hinc fit ut, ad continuarum febrium classem nervosam hanc febrem pertinere, omnes fere medici uno ore consenserint.

POSTREMO, quoniam febres putridae, quae dicuntur, et nervosa, incipientes, non solum inter se simillimae sunt, sed saepe revera in unum commiscentur; nos vero nervosam solam, nulla putredinis ratione habita, consideramus; idcirco, quibus notis alterae ab altera dignoscendae sint, paucis explanare statui.

PRIMA nota ex inflammatione trahenda est, quae in nervosae febris principio potius esse videtur quam revera est; in putridis manifesta est. Cujus inflammationis haec sunt signa propria: Primum, frigus, et hunc excipiens calor ubique per membra diffusus, ubique magnus; item labrorum ariditas; sitis vix restinguenda; pulsus arteriarum tensi et pleniores; delirium furiosum; postremo, oculis rubor suffusus, et arteriarum carotidum et temporalium vehemens pulsatio. Quae omnia, quanto plus inflammationis putridam, quam nervosam febrem, habeant, ideoque quam diversa utriusque natura sit, ostendunt.

ALTE-

ALTERUM discrimen etiam clarius putredinis signa praebent. Haec sunt rerum per vomitum rejectarum copia et frequentia, in putrida quam in nervosa febre multo major. Quarum rerum etiam species clare distat, cum cruentus et maxime biliosus in illa, in hac nunquam, nisi ubi morbus in unum commixtus uterque est, vomitus fere cernatur; item spiritus cum ardore male olens; urina rubra, saepius flavescentes; linguae color ex albo per primos dies, mox in fuscum, dein in nigrum mutatus; sumnum corpus praeter oculum ubique flavescentes; oculi petechiis obsuti; postremo sudores graveolentes, omnia putredinem, contrariam typhi nostri naturae, declarant. Utque eorundem affectuum, aliquibus initia obscure, ita augmenta usque mali pestiferi liquido, omnibus discernuntur.

Causa opportunos huic morbo reddens

EST quaelibet partis nervosae hominum debilitas. Itaque, quaecunque firmas nostri partes resolvunt, hujus generis sunt: Qualia sunt corporis aut animi labor supra vires, humorum profusiones, et, praeceteris, venus immodata;

immodica; victus tenuis et materie parum
alente constans; animi adfectiones hunc de-
primentes, et potius morando quam subito a-
gentes; morbi priores, maxime qui putridi
fuerint. Eundem habitum per populum in-
fert coeli cum humore calor.

*Causae morbum in habitu opportuno excitantes,
seu Procatarethiae*

SUNT praecipue frigus aut animum pertur-
bationes deprimentes.

FRIGUS tanto potentior causa morborum
fit, quanto diuturnior, quanto major, aut
subitum magis, offendit. Ejusdem insuper
vim humor conjunctus intendit. Quae con-
ditiones, si satis magnae sunt, quaelibet cor-
pora in morbos conjicient; ideoque frigus sic
agens absolutum esse dicitur. Eaedem con-
ditiones, si modo minores sunt, aut aliquae
defunt, tantummodo nocent, prout quae-
dam corpora noxae magis, quam alia et plura,
opportuna facta sunt. Quin et, prout diversa
ea opportunitas est, alios ac deinde alios mor-
bos inferunt. Atque sic frigoris vires relati-
vae nuncupantur; quia non quaelibet, sed
quaedam, corpora aufficiunt, idque tantum
conditione

15 DE FEBRE NERVOSEA.

conditione corporis data per quam nocere valent, scilicet opportuni habitus ratione habita. Ideoque rursus, ubi propria vi nullam noxam, sed accidente opportunitate, morbum faciunt, causae fiunt de quibus hic agitur, a GAUBIO potestates nocentes nominatae. Atque sic quoque vel nervosam vel cum inflammatione febrem excitabit frigus; prout corpus robustius huic, debilius illi opportunum, conditionem dat per quam dirigitur noxae eventus. Omnis frigoris vis sedans est, seu vim nervosam minus mobilem reddens. Quae vis, si magna est, contra frigoris actionem validius ob id ipsum reagit, et amissam suam mobilitatem seu vim frigoris sedantem, tanto mobilior facta, compensat. Et quoniam idem frigus, repulsa ab extremis vasis vi nervosa, ideo haec spasmo afficit; sic is, restituta in vasa, et majore quidem impetu, vi nervosa, ideo superabitur; aut, si non protinus superatus fuerit, cordis vis sic quoque excita usque instabit, donec magna sanguinis copia, quoquoversum missa, omnes secretiones spasmo suppressas relaxans, et utraque via vasa extrema resolvens, spasmum superaverit. Quae quidem, ne longus sim, quoad manebit spasmus, et distendens sanguinis

nis et contractilis vasorum vis, adeo valide inter se renitens, sanguinem citatum congerit, febris cum inflammatione dicenda est. Atque tantos hos motus, sedans vis frigoris, in validas nervosae potestatis oscillationes elasticas agens, pari modo facit ac pendulum vibratorium, quod a medio perpendiculari spatio ubi quiescit, in alteram partem impulsum, non solum eo unde abiit redibit, sed et tantundem in contrariam partem transibit, quantum in illam impulsu decesserat. Verum, si quid in priore parte quo ex quiete pendulum impulsum est praeterea repellit; machina non solum per idem spatium, sed per tanto amplius transgredietur quanto major repulsus fuerit. Cui simili ratione singe, ante frigus admotum cor alicujus sexagesies horae minuto; protinus post, quinquagesies; mox et in febrili jam motu, centies micare: Manifestum erit, vim frigoris sedantem unam e sex partibus ademisse; vim cerebri reagentem, quam frigoris stimulum dicas, et hanc et quatuor praeterea partes restituisse; ideoque cerebri reactionem, cum unam amissam et alteram superadditam restituere debuerit, tribus partibus hanc summam superare. Quod igitur discrimen partim insitae cerebri vi, partim sanguini

guini intus per spasmodum congesto et percitato, tribuendum est.

LONGE vero aliter frigus febres nervosas excitat. Hic enim magna illa cerebri reagentis vi imminuta, nervorumque chordis et reliquis firmis, quorum tensio certa oscillationibus necessaria est, resolutis et debilitatis, frigoris vis sedans vel non superatur, vel non ad salutem satis. Permanet igitur in extremis vasibus spasmodus, permanet oscillationum quam frigus primum fecit debilitas, debilesque omnes hujusmodi febrium motus, eoque diuturniores, erunt.

Ex animi deprimentibus affectibus metus et moeror praecipui sunt.

Hic in cerebrum seu nervorum originem singulari vi agunt, et statum ejusdem excitatum imminuunt. Ut ideo nulla causa febris nervosae potentior aut aequa forsitan potens sit habenda. Idem potestatis nervosae mobilitatem, consimili frigori ratione, imminuunt, eamque aequaliter in omne corpus diduci prohibent. Atque ex eodem fonte, summi corporis spasmodus, et perspiratio retenta, permanant. Quae ipsae noxae eo magis valebunt, quo magis ex improviso incident; item, quo majores magisve intensae sunt, quae absoluta

soluta vis adpellatur; denique, si, corporis status ratione habita, nocent, is erit sensibilitas, aut rei quam desideramus charitas, aut quam metuimus fictus animo terror. Eaedem perturbationes, si quando, ut suo loco dictum est, tardiores sunt, aut morando, ideoque minore sed longiore vi, agunt, non morbum excitant, sed periculum ejus in morbum, data occasione seu oblata potestate nocente, protinus eruptum creant: Ut ideo una eademque res prius pro seminio, ut GAUBIUS loquitur, postea pro potestate nocente seu excitante causa, agere quandoque queat; quod quidem et alias in simili re, et in causarum talium quaestione, dici quoque potest. Quod hoc exemplo apte illustratur. Amicus alter, morbo implicitus, alteri dolorem, timore et moerore mixtum affectum, creat. Qui affectus nunc lenior et diuturnior, cari capit is morte demum illata, efferatus erumpit; nec, nisi superstite in febrem coniecto, sisti amplius potest. Quod si mortuus e contrario vixisset, nihil secus alteri obtigisset. Verum, quo clarius istorum animi affectuum vis cognoscatur, paulo fusi us de ejusdem effectibus loquar.

In omni quaestione de oscillationibus nervosis laesis, an eae quae in musculis, an quae hos inter et sensorium, an quae in ipso hoc, an quae inter sensorium et sentientium nervorum extrema, potissimum, an omnes pariter, laedantur; item an fibrae musculosae, an nervorum chordae, an ipsum cerebri corpus, laesa, nullo discrimine pariter oscillationes afficiant; an denique quaedam medulloſi corporis pars, praeceteris male affecta, iisdem affectum impertiat; tamdiu erit incertum, dum natura nervosa adeo nos latebit. Certe ego, quo modo metus cum moerore vim nervosam afficiant, nisi quod et firma nervosa et iis proprium elasticum humorem afficere videantur, dicere non ausus; ad effecta exponenda, et quae corporis actiones potissimum laedantur, dicendum properabo.

ERGO cum metu moeror has corporis compositas actiones, primum animatas, tum vitales, postremo naturales, adsiciunt.

QUOD ad animatas seu animales ut vulgo dicuntur attinet; intellectus facultates omnes perturbantur; animus instrui ad cogitandum nequit, cuius imaginum et notionum omnium ordo solitus mutatus pessundetur; memoria labefat, neque ullus ejus sensus, folitis

litis causis, seu rerum externarum aut internarum impulsibus, rite contra respondeat.

LABANT sensus externi, universi; id quod videndi, audiendi, tangendi imminuta potestas, et frigus toto corpore sine vera causa sentitum, aperte docent.

NEC vires motrices minus deficiunt. Musculi sui vultum solito vigore nequeunt compонere: Quem languor, moestitia, dejectus extremus, oculus luridus, incertas, iners, resolutus, deformant. Extremi artus tremunt, vacillant, motum omnem refugiunt. Ubi-que resolutio, ubique spasmus, incredibiliter torpentes figit. Ut vero

AD actiones vitales transeam; arteriarum et cordis percussus nullum certum servant ordinem; modo tardiores, saepius celeriores et veloces; semper debiles, et usque eo saepe, ut a dígito medici sentiri nequeant.

NEQUE cordis actioni dissimilis multum spiritus quotidie reperitur. Qui, ut plerumque celer, subinde interceptus, ita aliquando plenior animadvertisit. Verum sic quoque, ob sanguinis per pulmones transitum difficilem, praerumpitur. Unde circa praecordia loca tanquam pondere pressa laborant.

Postremo,

POSTREMO, e facultatibus naturalibus solitum cibi desiderium perit. Ventriculus cum summa anxietate, aliquando etiam sed rarius ad nauseam crescente, inflatur. Quo verisimilius est, totum alimenti canalem eadem inflatione premi. Idem hic resolvitur, ut sterlus, nescientibus hominibus, elabi solitum probat.

VITIANTUR et reliquae excernendi vires. Urinae copia auctae creber stimulus est; ideoque crebra meiendi voluntas. Eadem limpida praeter naturam, pallens, sine odore, sine sapore, exit. Quae res, quantum eam excernens vis deficiat, ostendit. Item minus solito perspirari videtur, pro qua naturali excretione gelidi circa caput aut quasdem partes maderes disfluere solent; ut non sine causa, aucto sudore, perspirationem imminui SANCTORIUS judicarit. Supra dicta et metus et moeroris effectus comprehendunt; nisi quod huic praeterea propria magis sunt, subinde suspiria alto pectore ducta, subinde lachrymae fusae.

HIC non omittendum videtur, contagionem, quatenus potestas sedans sit, haud invalidam nostrae febris caufam esse posse. Cujus actio sedans pari modo explicanda est ac frigoris et animum reprimentium affectuum

supra

supra comprehenforum nocens potestas. Eadem pro fermento agens, seque intus in corpore propagans, et alia corpora in febrem conjiciens, ad febrem putridam pertinet, a nostro proposito aliena.

Causae Proximae factum periculum.

NUNC demum in re maxime omnium obscura, scilicet febris nervosae natura aut causa proxima, quam maximi viri frustra quaequivisse videntur, conjectura nostra periclitandum est. Ubi, si erraverimus, nam non errare non est sperandum, tamen vel conatus utilitas, si non laudem, veniam certe, merabitur.

ERGO, febris hujus in parte nervosa et ex ea in cerebro naturam quaerendam, autumo. Quae res eo minus dubitanda erit, quod omnia morbi ad talem opinionem ducunt. Quam cerebri conditionem, debilitatem esse, tam notae morbi quam curatio ostendunt. Quod, si haec ipsa debilitas unde et qualis esset, quo pacto omnes corporis actiones in partem traheret, aut hanc potissimum febrem crearet, nec aeque quemlibet aliud morbum in debilitate positum inferret, explanare etiam possem;

sem; propositum tenuisse, et veram hujus febris naturam affecutus esse dicerer. Verum, in hoc cardine labor omnis vertitur. Neque dici prope amplius, in praesente legum nervosarum ignorantia, potest, quam causas remotas, ante quodammodo explicatas, in vim nerveam agendo, hujus in omne corpus motus peragi impedire. Et, cum totum animalium robur in vi nervea ad omnes partes rite perveniente constet, si hac quodammodo pravitur, ut debilitentur omnes necesse est. Porro, praeter debilitatem, quoniam eadem vis nervosa in partes motrices diducta tensionem quandam, vim tonicam dictam, ideoque et firmitudinem, iis parit; sequitur, deficiente ea vi, ut omnium illarum partium tensio quoque deficiat. Sed, debilitatem et tensionis defectum esse spasmodorum causam, manifestum est. Ergo partes musculofae spasmodis, ut factum hic videmus, adficiuntur. Porro, si eadem causa parte contineretur, effectum quoque intra partem magis constitutum credibile est. Neque nostrum argumentum movet, quod, ut in hysteria, hypochondriasi, epilepsia, et multis aliis malis nervosis quae sine febre sunt, obtinet, etiam unius partis tensione mutata latius et ad totum corpus serpit: Dummodo

modo concedatur, quod inficiandum non videtur, ubicunque tensio seu potius vis tonica, non enim adeo de mechanica hic agitur, deficit, ubicunque est debilitas; si ea pars motrix est, eam spasmis, deficiente vi tonica motus aequales servante, fore opportunam. Quocirca, cum vis nervosa et tonica pree caeteris in summi corporis vasa extrema, ob cerebri debilitatem per causas remotas factam, non perveniat; ideo summum corpus, pree caeteris, spasmis laborabit. Verum, cum summi corporis spasmis omnibus febres communes sint, quid sit discriminem, quo haec clarius innotescat, anquiramus. In febribus, ubi totius corporis robur non detritum est, spasmus, cerebri actionem et nervosas oscillationes impediendo, facit ut hae primo quidem debilitatae, mox, per elasticam naturam impetu recuperato, validius contra resistant, reagant, persistent, nec desinant donec spasmum, cuius nunc effectum pro stimulo iis est, prevalentibus demum superent. Igitur, cum spasmus ipse in debilitate consistens, et motus nervosos primo semper insuper debilitans, mox tamen ipsos hos motus sustentet; ita, quo major ejus actio est, eo etiam majores motus fore eosdem, et cerebri contrariam actionem,

actionem, adparet. Sed cum ipsi ii motus, prout majores aut minores sunt, ita maiorem aut minorem vim febrium modum constituant, et febres rursus, quo majores, eo breviores esse soleant; dubium non est quin ea febrilis brevitas, motuum vehementiae, spasmum eo citius superantium et febrem finientium, debeatur. Itaque, hoc ubi fit, nonnullae febres post unam, alii post duas, tres, aut non multas accessiones, solvuntur.

CONTRA, ubi spasmus major est quam ut cerebri resistens potestas eam facile superet, aut etiamsi spasmus magnus non est; tamen, si extrema cerebri debilitas oscillationes immutatas restituere et debitos motus excitare facile nequeat; in utravis re, febrem fore longam et debilitatem istam cerebri, ad omnes corporis actiones pervenientem, magnam ubique futuram, non inficiandum est. Quinetiam, ut spasmus ab initio et sua semper sponte oscillationes seu motus nervosos debilitat impeditque; ita, nisi citius tollitur, eosdem debilitare pergit; vel hoc ipsum, quod motus saepius aut diutius renovantur, eorum vim imminuit. Quod quidem omnia et ad secundam et ad adversam valetudinem pertinentia firmant.

firman. In secundā valetudine, nonne actiones corporis eo citius corpus delassare, et somnum ac quietem eo magis necessariam reddere, quo vehementiores sunt, videmus: Nonne in febribus intermittentibus, ubi omnium maximi motus de quibus agitur esse apparent, ob id ipsum quia unaquaeque accessio spasmum solvit, et tam requietis quam integrae sanitatis intervallum liberum permittit, ii motus aequa vehementia ab soluto intervallo redeunt? Nonne in febribus cum totius corporis habitus inflammatione, ubi proxime intermittentium naturam, iidem motus primo tempore, propter magnum cerebri et corporis robur, vehementissime peraguntur, ii tamen post aliquot accessiones multo imbecilliores fiunt? Postremo, nonne omnes animalium actiones eidem legi parent, et similes habent rationes? Profecto naturae, ut in aliis rerum speciebus, ita in hac re, certi fines, terminus certus hæret. Quo minus dubites in febribus nervosis idem quoque fieri.

Ex quibus omnibus rebus et argumentis, remotas causas primum cerebri et nervosas actiones, praecipue in extremis summae cutis vasis debilitare, et vim tonicam delere; inde spasmum, et praecipue in iisdem partibus oriri,

spasmodum easdem actiones impediendo contraria cerebri resistentis actionem concitare, febrem formare; postremo febrem, propter spasmodum permanentem, cerebri debilitatem, eamque assiduis accessionibus et ipsam moram auctam, exiguum, longam, et uno verbo nervosam reddi, concludo.

Judicium Eventus.

SUPERVACUUM foret, quotquot signa, sive salutis, sive perniciei, sive incerti eventus sint, exilius percurrere; siquidem multa huc pertinentia, quatenus judicium sui recipient, in historia antecepi. Alia ancipitis adeo naturae sunt, ut in neutram partem certi quid significent. Solum hoc dicam, si iis diebus qui judicatorii habentur, arteriarum percussus extenuibus et exilibus maiores et pliores, item urina ex limpida et tenui coloratiore et crassior evadat, aut signa cerebri debilitati decedant, de futuro bene sperandum.

CONTRA quae mala sunt et perniciem denunciant, ea, in historia ordine quo incidunt memorata, inde repetantur.

Ratio.

Ratio Medendi.

QUONIAM, p̄ae cerebri debilitate spasmum summi corporis nō tolli, supra ostendi; ideo duo medendi cōſilia mihi placent:

PRIMUM, Spasmum solvere;
DEINDE, Cerebri actionem roborare.

QUIBUS quidem eadem fere remedia respondent, ut vix opus discrimine fit. Ergo, ubi circa initia, quod aliquando fit, aliquid inflammationis subest, id sanguinis detractione solvatur. Cujus usus sit et cautior et parcior; ne corpus sic debilitatum futuram morbi vim parum tolerare possit. Nec unquam fere sanguine, nisi semel detracto, opus erit. Qui igitur, si, ut saepe fit, ad caput citatus delirium infert, ex arteria temporis aut juguli vena, aut etiam hirudinibus juxta admotis, ad vicinum malum levandum dematur.

POSTQUAM vero jam febris pure nervosus fit, quod brevi tempore accidit, ad spasmum, cum summi corporis, tum variorum organorum excernentium, solvendum primum faciunt

unt emetica. Ea ventriculum, qui cerebro ipsi natura sensili proximus est, stimulando, cerebri actionem excitant. Quae deinde ad alia loca, prout quisque maxime sensibilis est, ideoque actionem ejus facillime recipit, nec ad ullum magis quam corporis summum perveniet. Simul ipsum cor stimulatum liberius eodem sanguinem percitat; et utraque via spasmus solvi incipiet. Verum, licet emetica huic morbo perquam accommodata sint; tam non vomitu sed nausea prodeesse nuper reperta sunt. Vomitus inutilis est, quia nihil fere alienum in ventriculo, ideoque rejiciendum, in hac febre subest. Idem periculum habet ne concussus graves debile corpus insuper debilitent. Et, cum solum emetica, causâ foramina cutis aperiendi, dentur, intra nauseam quam lenis nonnullorum emeticorum stimulus ciet, subsistendum est. Quam quidem rem ipsa etiam natura, ut interdum fallax, ita saepe usus magistra, perinde ac in hac re, submonet. Quem igitur in finem tartarum emeticum reliquis omnibus haud paulo aptius est; et quia parvis portionibus agit, et quia ita administrari potest ut ad sententiam satis certo respondeat; denique, quod quovis tempore effectum aliquod edit. Quod, si ullus temporis delectus habendus

habendus est, cum bis quotidie circa meridiem fere, et circa medium noctem, haec febris exasperetur, paulo antequam exasperetur, commodius medicina datur. Quam tamen hora septima vel octava vespertina, scilicet ante nocturnam accessionem, plerumque dare consuetius est. Eadem in media accessione non pari commodo datur. Quod vero ad copiam et frequentiam dandi attinet, octava vel quarta grani pars unaquaque hora dimidia plerisque convenit. Sic adhibitum tartarum emeticum remissiones longiores et leniores multo reddit. Néque spes deest per id solum interrumpi febrem posse. Cujus usus per aliquot dies experiendus est.

INFERA purgantia, quae multo stimulo agunt, minime convenient; quia sic humoris copiam auferendo corpus jam debilitatum insuper debilitant, et tensionem deficientem, ut deficiat magis, faciunt. Verum, cum plerumque in hoc morbo sanguinis impetus aliquis, praesertim alvo adstricta, ad caput assurgat, et cerebrum debilitatum premat, ad eum alio revocandum opus est alvi mollitie. Quam plerumque satis praestabit tartari emetici pars aliqua pylorum transiens et alvum aperiens. Aut, si id satis non est, lenes humores in alvum immissi

immissi eam ducent, intestina jucunde fovebunt, et arteriarum extrema per haec disperfa, et vasis summa cutis numero proxima, relaxabunt.

VERERES Graeci et Romani, ut et Itali praesentes, in hoc morbo aquam frigidam potui ac feliciter dederunt. Quae, licet minus apud nos adhibita, quicquid in febribus cum inflammatione periculum habeat, certe et eo in hac carebit, et auxilio esse poterit.

PERSPIRATIONEM aut sudorem moventia, ubi tartarum emeticum adhibetur, supervacua sunt. Praeterque hoc, effecti incertiora sunt; quippe quos major sed neque aequem certus neque tutus aequem, stimulus comitetur. Sales neutros multa premunt incommoda; dum alii, ut spiritus Mindereri, nisi magna copia, non agunt; alii injucunde agunt; nulli id potenter quod quaerimus praestant.

MAGNO usui febri nervosae sunt calida fomenta, quae, corporis summa relaxando et spasmum tollendo, id extrinsecus quod intus tartarum emeticum praestant. Neque adeo ab eorum vi stimulante in hac, ac in febribus cum inflammatione, metuendum est. Quae, cum minus plerumque commode toti corpori admoveantur, tamen artibus inferioribus

oribus admota, ubi spasmus maxime viget, eo forsitan magis prosunt, quo longius a corde et cerebro illae partes distant.

Si fomenta parum ad sententiam cesserint, ad vesicatoria, insigniter quoque antispasmodica, decurrentum est; maxime postremo hujus febris tempore, ubi omnis nervosa potestas ad extremam debilitatem redacta vel exhausta vel oppressa est; quae capiti raso admoveare aptius est. Eadem initio quoque febris, praesertim capite oxycrato lavato, valido sunt remedio. Neque ullo ejusdem tempore vetanda sunt. Verum eo tamen tempore potissimum juvant, quo nihil a stimulo eorum metuendum, sed contra est sperandum. Eadem sic agunt ut genus nervorum excitent, spasmos solvant, et tensionem corporis partium inter se iterum rite librent.

HIS synapismi eo deteriores sunt, quod nullos humores auferunt; quorum tamen stimulus, in summa jam debilitate, non erit recusandus.

RESTANT adhuc duo antispasmodica, camphora et moschus. Quorum camphora effectus est ancipitis; moschus magnam utilitatem

tem promittit, sed adeo saepe impurus est, ut copiae datae non sit confidendum.

VERUM, adversus omnes febres in debilitate nervosa consistentes, summo et potentissimo auxilio vinum est. In febribus putridis antisepticam vim, in nervosis stimulantem et roborantem, possidet. Quo quidem adversus debilitatem huic febri propriam magis, et a debilitata cerebri actione ortam, nihil est praesentius. E cujus variis generibus Hungaricum et ex insulis Canariis advectum, quippe quae generosa prae reliquis sint, omnibus anteponantur. Quibus defientibus, vinum Gallicum rubrum Aquitanum, suffici licebit. Idem quo debilius corpus est, tanto plus dari convenit; neque id negandum est, quod sanum hominem ebrium reddidisset; cujus ideo sub febris finem etiam plus assu mendum.

QUOD, si neque supra dictorum remediorum quicquam, ac ne vinum quidem pro fuerit, et crescentibus malis tetanus super venerit, ad opiate demum in extrema necessitate confugiendum est.

POSTREMO, corticis Peruviani periculum faciendum est. Is omnibus febribus extra inflam-

inflammationem positis summopere prodest. Ubi vero corpus resolutum et debilitatum est, firma adstringendo, vim nervosam excitando, et idoneum tonum restituendo, summos usus praefstat. Ejus optima forma qua adhibeatur sicca est; aut, si eam ventriculi nonnulli parum tolerent, aqua in qua is decoctus, vel vinum aut aqua frigida quibus maceratus sit, adsumatur.

QUOD ad victum attinet, diluentia subacida, jucunde roborantia, idonea sunt. Item omnia irritantia, lux omnis et strepitus, vitentur; corpus quietum, animus tranquillus, servetur.

F I N I S.

